



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Vita Et Epistolae Ioannis Papae IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

THEODORI PAPÆ II. VITA. 691

filium Bosonis post fugatum Berengarium, imperatorem coronauit. *Luitprandus.*

VITA

ANNO
CHRISTI
901.

THEODORI PAPÆ II.

THEODORVS huius nominis II. patria Romanus, ex patre Photio, surrogatus est Romano papæ, anno Domini 901. tempore Ludouici quarti imperatoris occidentalis; sedit tantum diebus viginti. Quonam autem die obierit, antiquorum nemo prodit, recentiorum fides ex diuinatione comparata vacillat.

VITA ET EPISTOLÆ
IOANNIS PAPÆ IX.

JOANNES IX. patria Tiburtinus, patre Rampaldo natus, professione monachus, & ordine diaconus, post obitum Theodori factus est pontifex anno Domini 901. sub Ludouico IV. imperatore. Cum Berengarius dux Foroiuliensis captum Ludouicum imperatorem oculis simul cum imperio priuasset, & cum armato exercitu Romam profectus coronam imperii ab hoc pontifice violenter extorsisset, nomenque imperatoris sibi tyrannice vindicasset, post obitum eius Lambertum VVidonis filium ante annos vndecim a Formoso papa imperatoria corona donatum Romam vocauit, ibique Synodali iudicio declarari mandauit, Berengarii & Arnulphi coronationes nullas esse & illegitimas, vtpote quæ vi extortæ penitus sint abrogandæ: Lamberti vero, in quem Formosi papæ & successorum eius libera vota conspirassent, legitimam & ratam esse habendam. Hac occasione principes Italiam a Berengario deficientes, Lambertum pro rege & imperatore agnouerunt. Cumque ex Romanis plurimi Berengario fauerent, eique contra Lambertum adhaerent, Ioannes papa non satis tutum se iudicans si Romam maneret, profectus est Rauennam, ibique acta Stephani contra Formosum per Synodus irrita reddidit, hisque

Concil. Tom. 24.

S l s s ij

Berengarii
& Arnul-
phi corona-
tiones a
pontifice
annullan-
tur.

turbulentissimis temporibus velut alter Ieremias a Deo missus, euulsit, dissipauit & destruxit ea omnia, quæ a prædecessore Stephano male plantata atque pessime ædificata fuerant. Sedit annos tres & dies quindecim : obiit anno Domini 905. sepultus est apud sanctum Petrum pro foribus ante portam dictam Guidoneam, in cuius sepulcro sculptum erat epitaphium quod recitat Baronius anno 905.

EPISTOLA I.

IOANNIS PAPÆ IX.

AD HERIVEVM ARCHIEPISCOPVM
RHEMENSEM.

Rescriptum domini Ioannis papæ ad consulta Heriuei Rhemorum archiepiscopi de Northmannis nuper ad fidem conuersis, quorum alii baptizati fuerant, & re-baptizati, & post baptismum gentiliter vixerant, qualiter illis consulendum sit : vbi demum habetur absolutionis sui, suorumque.

Ioannes episcopus seruus seruorum Dei reverentissimo confratri nostro Heriueo Rhemorum archiepiscopo.

De North-
mannis ad
fidem
Christi
conuersis.

VESTRÆ fraternitatis, vestræque reuerendæ sanctitatis mellifluas literas libentissime suscipientes, ac diligentissime pertractantes, & tristes admodum & vehementer extitimus exultantes. Moerentes itaque de tantis calamitatibus, tantisque pressuris atque angustiis non solum Paganorum, verum etiam Christianorum in vestrī partibus (vt vestrarum assertio literarum edocet) accidentibus: Gaudentes siquidem de ipsa gente Northmannorum, quæ ad fidem, diuina inspirante clementia, conuersa, olim humano sanguine grassata latabatur ; nunc vero vestrī exhortationibus, Domino cooperante, ambrosio Christi sanguine se gaudet fore redemptam atque potatam. Vnde multipliciter ei, a quo procedit omnē quod bonum est, immensas gratiarum actiones reperdimus, suppliciter obsecrantes, vt eos in soliditate veræ fidei confirmare, & æternæ Trinitatis gloriam agnoscere faciat, atque ad suæ visionis inenarrabile gaudium in-

troducat. Nam quod de his vestra nobis innotuit fraternitas, quid agendum sit, quod fuerint baptizati & reba-
ptizati, & post baptismum gentiliter vixerint, atque Pa-
ganorum more Christianos interfecerint, sacerdotes tru-
cidauerint, atque simulacris immolantes, idolothyta com-
ederint: equidem si tirones ad fidem non forent, cano-
nica experirentur iudicia. Vnde quia ad fidem rudes sunt,
vestro utiq; libramini, vestraque censuræ committimus ex-
periendos, qui & illam gentem vestris confiniis vicinam
habentes, studiose aduertere & illius mores, aetiusque om-
nes pariter & conuersationem agnoscere præ ceteris valea-
tis. Quod enim mitius agendum sit cum eis quam sacri cen-
seant Canones, vestra satis cognoscit industria, ne forte in-
sueta onera portantes, importabilia illis fore, quod absit,
videantur, & ad prioris vitæ veterem, quem expoliaue-
rant, hominem, antiquo insidiante aduersario relaban-
tur. Et quidem si inter eos tales inuenti fuerint, qui secun-
dum canonica instituta se per pœnitentiam macerare, &
tanta commissa scelera dignis lamentationibus expiare ma-
luerint, eos canonice iudicare non respuatis; ita ut in om-
nibus erga eos peruiigiles existatis, vt ante tribunal æter-
ni iudicis cum multiplici animarum fructu venientes, gau-
dia æterna cum beato Remigio adipisci mereamini. Mu-
nus vero quod nobis vestra sanctitas dirigere dignata est,
eo dilectionis amore suscepimus, quo a vobis fuit desti-
natum. Diuina maiestas, vos, vobisque omnes subiectos
ita concedat temporaliter vivere, vt intercedente beato
Petro apostolorum principe, omnium peccatorum ve-
strorum vincula soluat, & ad cælestis regni gloriam sine
ulla offensione perducat. Optamus sanctitatem vestram
bene valere, & apud piissimum Dominum pro nobis piis
supPLICATIONIBUS intercedere.

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ *Ioannes Heriaco.*] In codice Tiliano post epistolam Ioannis se-
quebatur prolixior altera eiusdem argumenti ab codem Heriaco
Rhemensi ad Vvitonem Rothomagensem archiepiscopum scripta,
cuius meminit Flodoardus lib. IV. capite X IV. sed illa huius loci vi-
fa non est. edita est autem post opuscula & epistolas Hincmari Rhe-
mensis.

S llll iij

694 IOANNIS PAPÆ IX. EPISTOLÆ.

EPISTOLA II.

IOANNIS PAPÆ IX.

AD STYLIANVM EPISCOPVM NEOCÆSAREENSEM.

*Negat illi veniam quam petiuerat communicandicum illis
quos Photius ordinauerat.*

Eas quas par est dilectioni tuæ gratias agimus, hono-
rande frater, quod nunquam a matre tua sancta catho-
lica & apostolica ecclesia Romana declinare voluisti. Ne-
que enim tormenta vlla, neque exilia, neque fraudes adul-
terorum hominum a matre tua te diuellere potuerunt.
Spero tamen tuarum precum fauore duritiem cordis eo-
rum, qui saluari debent, leniendam, & optatam pacem
redituram, quod apertis argumentis futurum appareat, &
schisma quadraginta fere annorum ad priorem sanitatem
reuersurum. Quæ enim tua mater reprobauit, tu etiam
hucusque reprobasti, & quæ illa approbauit, etiam tu ap-
probasti. Volumus igitur, ut etiam nunc secundum eam-
dem regulam decreta sanctissimorum pontificum præde-
cessorum nostrorum inconcussa maneant. Quapropter
Ignatium, & Photium, & Stephanum, & Antonium, sicut
sanctissimus papa Nicolaus & Ioannes, & sextus Stepha-
nus, & vniuersa Romana ecclesia hucusque tenuit, etiam
nos eodem ordine illos recipimus & tenemus, & illis qui
supersunt ex eorum ordine, eodem pacto nobiscum ma-
nus præbeas hortamur: & pacis & communionis illis con-
cedimus unitatem, dum ipsi eodem pacto regulas seruaue-
rint. Tuum vero chirographum, quod nobis fecisti, quam-
uis multum quæsierimus, inuenire tamen minime potui-
mus.